

## Benigne Lector,

**N**on fabulam confictam exhibeo, sed rei verè gestæ veram & genuinam Historiam, cuius argumentum & partes singulas habeo partim ex relatu Magnatum, aliorumq; Testium oculatorum, partim ex A. Senatus Rigenis eleganti Epistolâ Historico - Apologeticâ ad illustriss. Principem Radzivilium; quam quidem ante triennium editam hactenus silentio suo comprobarunt ipsi Poloni. Quæ alicubi ad ornatum Poëticum, de more, conficta occurrunt, ea ejusmodi sunt, ut noxam nemini adferant, & à prudenti Lectori facile discerni possint ab iis quæ rei substantiam concernunt. Maronem, qui mihi unus instar omnium Poëtarum est in hoc carminis genere, præ aliis imitatione pro viribus exprimendum mihi proposui, utinam tam feliciter, quam studiosè. In materia certè carminis, adjumento mihi præstito, Marone quodammodo felicior fui. Volens quippe Maro, in gratiam Romanorum, mirum in modum laudibus efferre virtutes bellieas Æneas sui, finxit operosè, non minus quam prudenter, Turnum, Æneas Adversarium, Heroem singularis magnanimitatis & industriæ; ut victor tanti Adversarii, Æneas tanto major esset in animo Lectoris creduli. Mihi vero, virtutes magni REGIS GUSTAVI ADOLPHI, pro modulo meo, aliis in exemplum cantaturo, opus non fuit, in Hoste magnum aliquid confingere, sed ultrò revera sese obtulit in RIGENSIBVS insignis fortitudo atq; industria, à cuius victoriâ non exigua portio laudum Regiarum cumulo accessit; ut non abs re Rigenib; jam devictis REX dixerit, illam duntaxat fidem à Civitate istâ se expetere, quam Polono toto obsidionis tempore præstitisset. Hic ut REX voti æquissimi compos fiat, & in ollis Ægyptiis mercimoniorum Polonicorum contemnendis fortiter Cives perseverent, in commune bonum opto & voveo: Præsertim quum paternum REGIS animum experiantur indies, non tantum Sacrorum ac Prævilegiorum fideli conservatione, sed & nuperā donatione immunitatis à Vestigalibus totius Regni, aliisq; signis indubitatis. Vale, Benigne Lector, & opusculum hoc per otium evolvens virtutes præclaras, tunc bellicas, tum Christianas, exemplo non uno disce, ac pro ratione muneric feliciter imitare. Rigæ Livonum Kal. Decembris CIJ. ID. C. XXV.

IOANNES NARSSSIUS Med. D.

RIGA